

## Scala paradisi

ne vlla varietate cognitionis: et sine vlllo visu huc et illuc vniuersale varietate omnium creaturarum: angelorum: hominum: stellarum: arborum: capillorum: verborum: cogitationum: momentorum omnium simul et semel comprehendit et intelligit. Fons igitur et origo omnis scientie deus est. que quanto plus quis bibet tanto plus sitiet. Incoparabiliter ergo totius mundi regnum: ut supra diximus: et si eternum esset: precellit societas angelorum et sanctorum: et presentia ipsius dei adesse visio nisi. In cuius visione trina scientia nascitur. id est homo qui cernitur: et deus qui cernitur: et ceteri omnes omnia videbuntur et intelligentur. Sicut enim per speculum vitreum trina nobis visio administratur. quia nos ipsos: et ipsum speculum: et quicquid presens adesse videmus. Sic per speculum diuine claritatis et ipsum deum ut est videbimus quantum possibile est creature et nos ipsos: et ceteros vera et certa scientia cognoscemus. Tunc abdita creaturarum et ipsius inferni videndo deum videbimus. Tunc iustis manifestum erit quod deus est inuisibilis incopabilis sine initio: et sine fine ante omnia. Quicquid interest in se nascitur quod ad filium pertinet: precedere quod ad spiritum sanctum: excepto quod vni ex vno nato sit alter ex duobus processit. Et quod pater non processit filium tempore sed origine. nec spiritum sanctum. Et quod omnia dei vnum sunt in deo: excepto quod ad relationem pertinet. Nam sapientia et veritas dei: et eternitas non diuersa sunt in se: sed vnum sunt sicut et omnia. Sapientia enim dei non magis sapientia quam veritas est: et non magis veritas est quam sapientia: quam eternitas: quam cetera dei omnia. Vnum enim sunt in deo: et non solum hec in se eadem sunt in deo: sed non aliud sunt quam ipse deus. Et quod mundus erat in deo: ante quam in se ipso esset non mundus sed deus. Et quod modo vbius totus sine loco. magnus sine quantitate. bonus sine qualitate. Et quomodo omnia penetrat munda et immunda sine sui pollutione. Si enim lux ista visibilis omnia loca illustrat et sterquilinita etiam penetrat sine sui fetore: et sine sui pollutione: quanto magis deus qui est inuisibilis et incopabilis lux: omnia penetrat regit sustinet circumdat illustrat sine vlla mutatione vel pollutione: non solum celestia et terre

stria: sed infernaliam. Tunc erit electis dei trina visio. id est corporalis quia corpora cernentur quorumunda splendoria ut sol: quorumunda ut luna: aliorum ut stelle. Et spiritualis qua similitudines corporum in spiritu non fallaci fantasia inspiciunt: quia visio etiam hominibus fruuntur spiritus iustorum post corporum claustra. Et visio intellectualis: qua puro mentis oculo in spiritu deum videbunt: et suas animas et virtutes intimas: et spiritus angelicos. Tunc duplices deo acturi sunt gratias videlicet per sua liberatione a perpetua damnatione: et pro bonorum ineffabili retributione. Tunc communis omnium reus et hostis diabolus in conspectu omnium electorum dei damnabitur. Cuius damnatio intolerabilis pena delectabile spectaculum prebebit electis. Tunc ardentissimo amore liberatores suos et omnium bonorum datorem amabunt: et sine fine sine fastidio clamore cordis laudabunt deum omnipotentem benignum et misericordem. Cui est honor et gloria nunc et per omnia secula seculorum. Amen.

¶ Diui Augustini episcopi hipponensis de triplici habitaculo liber explicat.

¶ Eiusdem Diui Augustini episcopi Hipponensis Scala paradisi liber incipit



**Cum die**

quadam corporali manuum labore occupatus de spiritualibus hominis exercitio cogitare cepissem. quattuor spirituales gradus animo cogitanti se subito obtulerunt. scilicet lectio. meditatio. oratio et contemplatio. Hec est scala claustralium qua de terra in celum subleuantur: gradibus distincta paucis: imense tamen et incredibili magnitudinis. Cuius extrema pars terre innixa est: superior vero nubes penetrat: et secreta celorum rimatur. Hi gradus sicut nominibus et numero sunt diuersi: ita ordine et numero sunt distincti. Quorum proprietates et officia quidem singula quod circa nos efficiant: quod inter